



QUÆSTIO PRIMA

De Sacramentis in genere.

C A P U T I.

De Sacramenti nomine.

§. I.



ON una est vocis *Sacramentum* five apud Profanos, five apud Ecclesiasticos auctores significatio. Apud illos quidem, nunc pro pecunia, quam contententes apud Pontificem deponebant, nunc pro militari juramento usurpatur. Apud istos vero, immo & in sacris libris *Sacramentum* primo sumitur pro re secreta, sicut *Tob. 12. v. 7. Sacramentum Regis abscondere bonum est*. Secundo rem quamcumque abditam, & mysterio obvolutam significat; hinc *Apoc. 12. Angelus Joannem alloquens: Ego, inquit, dicam tibi Sacramentum mulieris, & bestie*. Tandem *Sacramentum* pro signo rei sacre accipitur apud *Augustinum Epist. 5. ad Marcellinum: Signa cum ad res Divinas pertinent, Sacramenta appellantur*. Vulgo Sacramenti nomine Ecclesie Patres, Doctores Catholici, & Scripturae Interpretes, Novæ legis Sacramenta intelligunt.

A

§. II. Sa-